

dicta res non poterit retrahi à consanguineis quibus erat concessus retractus: imò, quod magis est, etiam si postea revertatur ad ipsum venditorem de genere qui primò alienavit, qui fortè erat filius, nepos, vel descendens ejus à quo reservavit; & postea rem iterum vendat alter filius vel descendens, fraterque vel consanguineus collateralis ipsius venditoris, non poterit retrahere: quia quando aliqua res est inalienabilis, & aliquo casu possit alienari, deinceps & perpetuò remanet & officitur alienabilis: textus est singularis in jure in leg. *Pater filium*, §. *quindecim libertis*, ff. de *Legatis* 3. quem ad hoc summè notat ibi Bartol. Alberic. & communiter DD. idem Bartol. in leg. *Filius familias*, §. *Divi*, ff. de *Legat.* 1. column. 3. & ibi Jas. col. 8. idem Jas. in leg. *Si sic*, §. *fin. eod. titul.* Bald. in *capit.* 1. de *Eo qui sibi & heredibus suis in lib.* 2. *Feudorum*, 2. column. facit etiam textus singularis & unicus in leg. *Videamus*, ff. *Quod metus causà*, ubi dicit, quòd actio. *Quod metus causà*, quæ semel competit & transmittitur contra hæredem, perpetuò efficitur transmissibilis: quem textum ad hoc notat communiter omnes DD. & dicit Bartol. se nescire alibi in §. *antecedentia*, facit etiam textus in leg. *Tutor rerum*, ff. de *Administrat. tutor.* ubi disponitur, quòd licet tutor non possit emere res pupilli vel adulti, quas administrat; tamen, postquam semel sint venditæ extraneo, justè & licitè potest emere & acquirere: & ad hoc reputat singularem Bart. & alii DD. textus in leg. *Paulus*, aliàs *per procuratorem*, ff. de *Acquirend. hered.* ubi habetur, quòd mutatione personæ bona desinunt habere primævam qualitatem: textus in leg. *Si avia*, Cod. de *Donationib.* ubi probatur, quòd qualitas primitiva alicujus rei amittitur postquam devenit ad aliam extraneam personam: textus in leg. *Licitatio*, §. *fin. ff. de Public. & vectig.* textus in leg. 1. §. *Semel*, ff. de *Bonor. posses. secundùm tabul.* ubi habetur, quòd sufficit semel & aliquo tempore valere testamentorum post mortem defuncti ad hoc ut competat bonorum possessio; & ibi notant Glos. ordinaria, & communiter DD. textus in leg. *Quidam in testamento*, ff. de *Fideic. liber.* text. in leg. *Liberto octoginta*, ff. de *Bonis libert.* text. in leg. *Cum Hermes*, Cod. *locat.* text. in *cap. 2. de Feudis*, text. in leg. *Cum pa-*

*terfamilias*, ff. de *Usuris*, text. in leg. *Titia Seia*, §. *Usuris*, ff. de *Legat.* 2. text. in leg. *Si ita stipulatus fuero*, §. 1. ff. de *Verbor. obligat.* textus singularis & unicus in suo casu in leg. *fin. Codic. de Remis. pignor.* ubi habetur, quòd si creditor remittat pignus ipsi debitori ut possit vendere, & talis debitor illud vendat; tunc, etiam si postea talis res vel fundus redeat ad debitorem & in dominium ejus, non restauratur jus pignoris vel hypothecæ: & ad hoc summè notant & commendat DD. & reputat singularem & unicum Bald. & Salicet. Quòd reputo subtilè & singulare.

Item quæro, an prædicti novem dies, qui dantur ad retractum per nostras leges regias, currant naturaliter, vel de momento ad momentum? Et videtur quòd currant naturaliter: verbi grat. si die Lunæ sit res vendita, consanguineus teneatur retrahere in die Martis, in quo terminantur prædicti novem dies: argumento textus in leg. *More Romanorum*, ff. de *Feris*, junctà ibi communi opinione: Confirmatur etiam ex doctrina & sententia Bald. in leg. *fin. Cod. de Jure domini impetran.* ubi dicit, quòd quando à lege datur terminus apposita propositione *ex die*, vel *intra diem*, vel *ad diem*, tunc naturaliter currit tempus: sed jura nostra regia dicunt, quòd ex die venditionis usque in novem dies consanguineus possit retrahere: ergo &c. Sed, his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò, quòd prædicti novem dies currant de momento ad momentum; itaque, si in die Lunæ res vendatur hora duodecima, prædicti novem dies non finiantur usque in diem Mercurii hora duodecima: Primò, quia regulariter omne tempus, terminus vel dilatio legalis currit de momento ad momentum: textus est in leg. 3. §. *minorem*, ff. de *Minoribus*, & ibi notat & commendat Glosa ordinaria, Bartol. Alberic. communiter DD. probat etiam textus in leg. *Pater*, §. *sexaginta*, ff. de *Adulter.* & ibi expressè notat & commendat Bartol. & communiter alii DD. nulla facta differentia, an lex simpliciter loquatur, vel cum aliqua propositione: text. in leg. *Eos*, §. *Sin autem*, Cod. de *Appellation.* & ibi Bald. communiter DD. text. in leg. 2. §. *Dies*, ff. *Quando appellandum sit*, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. (r)

(r) In his autem novem diebus computatur dies celebrati contractus; ut voluit Palacios Rubicus hic, Dieg. Perez in l. 2. col. 878. versic. *Utrum autem istud tempus &c.* Et colliges ex traditis ab eodem, in leg. 1. tit. 2. lib. 3. *Ordinam.* col. 828. & leg. 1. tit. 3. lib. 3. verb. *Que el dia*, col. 890. Alborn. de *Contract.* lib. 3. tit. 3. fol. 521. col. 4. & in simili tradit Gregor. in l. 22. tit. 23. *Glos. 5. part. 3.* & videtur verior sententia; quamvis contrariam post alios probet Gutier. lib. 2. *Practicarum questionum*, cap. 154. & latissimè Tiraquel. de *Retract. Lignagier*, §. 1. *gloss. 11. num. 19.*

26 Item quæro; Si quis vendat rem patrimonii vel generis, & proximior consanguineus sit præsens & taceat; an possit infra prædictos novem dies retrahere? Et videtur quòd non, nisi protestetur; argumento textus in leg. *Item quaritur*, §. *Qui impleto*, ff. *Locati*, text. in leg. 1. §. *Pena*, ff. de *Liber. agnos.* text. in leg. *Titius*, ff. *Quibus modis pignus vel hypothec. solvatur*, & in terminis ita tenet Paul. in leg. 1. ff. de *Tribut.* licet postea se non firmet. Sed ego teneo contrarium, imò, quòd sibi non præjudicet, & possit retrahere infra prædictos novem dies: quia regulariter quando quis est præsens in aliquo actu, non videtur consentire nec renunciare juri suo; nec adhuc videtur contradicere, sed taciturnitas ejus inducit quoddam medium inter consensum & contradictionem: textus est in regula, *qui tacet*, ff. de *Reg. juris*, textus in leg. 1. §. *Si is*, ff. de *exercitoria*, text. in leg. 1. §. *Non videtur*, ff. *Quibus modis pignus vel hypoth. solv.* Et confirmatur pulchra ratione: quia facultas retrahendi non consistit in sola voluntate & consensu, sed requiritur solutio, vel consignatio pretii, quod non præsumitur ibi habere præ manibus. (u)

Item quæro, an socius qui habet rem communem cum alio, possit retrahere partem à consocio venditam pro eodem pretio? Et breviter & resolutivè dico, quòd de jure communis nullo modo habebat locum retractus; sed jure Particularum erat decisum contrarium, imò, quòd socius possit retrahere & præferri extraneo emptori: ita disponebat *lex 55. tit. 5. part. 5.* tamen illa lex fortè erat intelligenda quando tempore contractus concurrebat socius & extraneo; secus autem si jam esset vendita extraneo: & ita videntur probare verba illius legis. Tamen, quidquid sit, hodiè expressè decisum est, quòd talis socius possit retrahere etiam venditione jam facta & perfecta cum extraneo, dum tamen retrahat infra eosdem novem dies post contractum, & alienationem, quemadmodum, & eadem forma, & solemniter

tate qua consanguineus possit retrahere: ita expressè disponit *lex 75. his legibus Taur.* & ista est ejus vera, & propria decisio.

27 Quod tamen singulariter intelligo, quando retrahens erat socius cum ipso venditore in re communi pro indiviso: secus tamen si prædicta res esset inter eos divisa, taliter quòd quilibet eorum suam partem cognosceret divisam & distinctam de per se; quia tunc nullus eorum potest retrahere rem vel partem alterius, quia non dicuntur socii, nec habere communionem aliquam in tali re; textus est bene notandus in leg. *Magis*, puto, §. *fin. ff. de Rebus eorum*, cujus verba sunt, *communis prædia accipere debemus si pro indiviso communia sunt*, textus in leg. 1. & per tot. ff. *communis dividendo*, textus in leg. 1. & per tot. Cod. *cod. tit.* textus in leg. *Litus*, ff. de *Verbor. signific.* textus in leg. *Rectè dicimus*, §. *fin. eod. tit.* textus in leg. 3. Cod. de *Communium rer. alienat.* textus in leg. *Si quis duas*, §. *Si quis partem*, ff. *Commun. prædior.* textus in leg. *Alienationes*, ff. *Famil. eriscund.* textus in leg. *Ante divisionem*, Cod. de *Jurè dotium*, textus in leg. *Portionem*, Cod. de *Donation.* textus in leg. *Qui Roma*, §. *Dua heredes*, ff. de *Verb. obligat.* Cod. de *Contrah. emptio.* in *fin.* & ibi communiter DD. Paul. de *Castro*, & ibi etiam alii DD. in leg. *In parietis communis*, ff. de *Danno infect.* & probat apertè prædicta *lex partit. 55. tit. 5. p. 5.*

Quòd etiam notabiliter extende & intelligez ut in tantum talis socius possit retrahere; ut procedat etiam si sit socius in minima parte ipsius rei: Ita probat textus in leg. *unic. Cod. de Communi servo manumisso*, §. *His itaque*, ubi disponitur, quòd si socius qui habet servum communem cum alio, vellet manumittere & libertatem ei concedere, possit etiam invito socio, soluto sibi legitimo pretio: & subdit text. & in hoc facit, ut habeat locum etiamsi habeat minimam partem in eo. Ex quo infert ibi Bald. quòd in jure nostro ratione cu-

cum aliis sequentibus. & in simili probat Molin. in *Consuetudinibus Parisiens.* tit. 1. §. 4. *quæst. 2. num. 11.* unde negari non potest quin articulus iste sit valde controversus, præsertim cum hæc secunda opinio æquior & favorabilior sit.

(u) Nec enim sufficit verbalis oblatio, ut pro constanti DD. omnes præsupponunt hic, & in specie tenet Palac. Rubi. num. 35. & Cifuent. circa *fin.* Gregor. in leg. 8. tit. 14. in *princ. verb. Afrenta*, part. 5. & in leg. 38. tit. 13. verb. *Ellos depusiese*, part. 5. leg. 55. tit. 5. verb. *Deve. eadem part.* Matienz. in leg. 9. tit. 11. lib. 5. *Recop. gloss. 4. num. 1.* Burg. de Paz. *cons. 30. num. 2.* Joann. Gutier. lib. 2. *Practicarum questionum*, *quæst. 160. num. 6.* Jason. *consil. 172. leg. 2. per totam*, Capitijs *decis. 10.* Roland. *cons. 53. num. 35.* quia omnes post Bart. in leg. *Cum servus*, de *Condit. & demonstrat.* concludunt, usque aded consignationem & depositionem requiri, ut non sufficiat pecuniam in marsupio deponi, nisi testes dicant se vidisse eam antea numerari; quia aliàs non potest sciri neque cognosci quanta pecunia fuerit deposita.

iuslibet minimæ partis dicitur quis consocius in te : unde , si statuto caveatur quòd socius possit retrahere vel extra consortes non possit fieri alienatio ; talis socius dicitur , etiam si habeat minimam partem in re : & reputat esse menti tenendum. Ex quo text. in *dict. leg. 1. de Comuni servo manumis.* infert ibi Bald. in *finalib. verb.* quòd si quis in vita vel morte vult ædificare Ecclesiam vel Monasterium in loco communi , socius tenetur suam partem vendere : & idem est quando non esset socius nec haberet partem in re , sed vellet quis emere rem penitus alienam ad construendam Ecclesiam vel Monasterium ; quia teneretur dominus plenus & in solidum illius rei etiam vendere : Ita Bald. & Florian. in *leg. Si quis sepulchrum.* ff. de Religios. & *sumptibus funer.* argumento illius text. & argumento text. in *leg. Si plures eod. tit.* probat etiam textus in *leg. Si locus versic. fin. ff. Quemadmodum servitut. amittant.* ubi probat , quòd si civitas vel respublica eget via vel loco pro communi usu , cogitur vicinus proximus vendere : ergo idem sit pro Ecclesia construenda : & idem tenet Alexand. Jas. & Modera. in *leg. 2. ff. Solutio matrimon.*

Advertendum tamen , quòd prædicta jura propriè videntur procedere & habere locum , quando res vel fundus esset communis , vel quando Ecclesia erat jam constructa & egeret ampliacione : secus tamen quando res vel fundus esset in totum & in solidum alicujus domini ; quia tunc non videtur quòd posset extraneus ipsum dominum compellere ad venditionem rei pro construenda Ecclesia vel Monasterio ; quia non reperitur expressum. Item , quia reperitur regula generica in contrarium : ut in *leg. Nec emere.* Cod. de Jure deliberand. cum *similib.* Item etiam , quia pro libertate de novo concedenda non cogitur dominus servum proprium vendere : textus est in *leg. Deberi.* Cod. de Fideicommiss. libertat. textus in *leg. Si te.* eodem titul. textus in *leg. Si quis alienum.* ff. eodem , textus in *§. Libertas.* Institut. de singularibus rebus per fideicommissum relictis. Sed licet iste casus sit dubius de jure ; tamen in practica videtur tenenda superior sententia & conclusio : quòd pro Ecclesia etiam de novo construenda compellatur quis vendere rem propriam in solidum. Nec obstat illa ratio contraria libertatis : Quia licet sit valde favorabilis , tamen favor ipse est particularis respectu servus ; unde , favor non extenditur in præjudicium tertii : secus tamen in Ecclesia de novo construenda : quia vertitur maximus & universalis favor publicus religionis circa omnes : & in hoc resideo , & reputo singulare ultra alios.

Item quæro : Si maritus constante matrimonio , tamquam proximior consanguineus vel socius retrahit rem venditam pro eodem pretio ; an uxor soluto matrimonio habeat medietatem ejus virtute legum regni , dicentium , quòd lucra acquisita constante matrimonio dividantur inter maritum & uxorem ? vel an tantum habeat uxor medietatem pretii pro quo fuit retracta ? Et videtur quòd habeat medietatem ipsius rei , per jura regalia dicentia , quòd bona quæ sita & superlucrata constante matrimonio dividantur inter maritum & uxorem : ergo , &c. & istum casum jam vidi de facto , eum tangit Doctor Palac. Rubeus in *sua Reper. cap. per vestras.* fol. 38. col. 4. ubi relinquit cogitandum & indecisum. Sed resolutivè ego teneo contrariam sententiam , imò , quòd tantum habeat uxor medietatem pretii , & non medietatem rei ; Primò , quia in his quæ proveniunt à Rege vel Principe , non habet locum medietas lucrorum , ut in *leg. 2. tit. 4. lib. 5. Ord. & leg. 2. tit. 3. lib. 3. Foro II.* & argumento etiam text. in *leg. Cum multa.* Cod. de Bonis qua liberis , ergo idem sit in rebus acquisitis per viam retractus ex dispositione II. regni , & concessione regia : Secundò facit ; quia ea quæ quis acquirit particulariter contemplatione suæ propriæ personæ , & ex causa speciali , non communicantur inter socios ; ut probat textus notabilis in *leg. Verè.* §. Si servo , ff. Pro socio. Tertio , quia quando finis habet necessariam causam cum principio , semper attenditur principium & non finis : text. est in *leg. Damni infecti.* §. Sabini , ff. de Damno infecto , text. in *leg. Quod ait lex.* §. Quod ait , ff. de Adulter. text. in *leg. 3. §. Scio.* ff. de Minor. text. in *leg. Ratione.* la 1. §. Imperator , ff. ad leg. Falcid. Sed in nostro casu licet retractus fiat constante matrimonio , tamen causa originalis & primordialis ejus habet ortum & fundamentum ex antiquiori causa , scilicet sanguinis & cognationis mariti retrahentis : Ergo &c. Quarto facit , quia ratio inductiva retractus est affectio quam quis habet ad res generis vel majorum ; sed si uxor haberet medietatem , cessaret prædicta ratio. Quintò facit , quia in generali dispositione legis non censetur conclusa ea quæ sunt de jure specialissimo & privilegiato ; textus est in *leg. Qui officii.* ff. de Contrahend. emptio. & tenet Glos. singularis & ordinaria in *leg. Minor.* ff. de Eviction. & ibi communiter DD. Sextò facit sententia Fabri & communis per textum ibi in *§. 1. Institut. de Acquisitione per arrogationem.* ubi tenet , quòd jus retrahendi , descendens à lege vel aliquo beneficio vel privilegio speciali , non transit in patrem arrogantem , licet bona quæ sita per filium transeant

in eum. Confirmatur ex sententia Abb. Imol. & communi in *cap. fin. de Concess. praben.* ubi tenet , quòd jus patronatus uxori competens non transit ad maritum. Rursus confirmatur , quia si ante matrimonium maritus habebat nudam proprietatem in re , & postea constante matrimonio consolidetur usustructus cum ea , non judicatur diversa res vel de novo quæ sita , cum habeat causam de præterito ; nec uxor habebit partem ejus : argumento textus in *leg. 4. ff. de Jure dotium.* & ibi DD. antiqui : textus in *leg. fin. Cod. de Alluvion.* & ibi Bald. & alii DD. textus in *leg. Qui in aliena.* §. fin. ff. de Negotiis gestis , textus in *leg. Via constitui.* §. Si fundus , ff. de Servitut. rustic. prædior. textus in *leg. Si is cui.* §. fin. *Quemadmodum servit. amittant.*

29 Item quæro , si quis vendat fundum cum fructibus pendentibus , & emptor colligit eos , vel reditus percipit infra prædictos novem dies , & postea consanguineus vel socius retrahat infra eosdem novem dies , an possit repetere fructus ab ipso emptore perceptos ? Et videtur quòd non ; quia talis emptor justè , & licitè percipit & eos fecit suos ratione tituli & domini , & pretii soluti , de quo & ejus licito interesse gaudet venditor : ergo non teneatur restituere. Secundò , quia licet fructus pendentes & extantes in fundo vel re immobili reputentur pars ipsius fundi vel rei , ut in *leg. Fructus pendentes.* ff. de Rei vendit. & tali casu possit retrahens habere ipsam rem cum fructibus : tamen postquam fructus sunt separati à re vel fundo , jam non dicuntur pars ipsius rei vel fundi , sed judicantur res mobilis distincta & de per se , in quam non cadit retractus. Confirmatur , quia actio , per quam fit retractus , est personalis , vel in rem scripta , & stricti juris , in qua fructus veniunt à tempore litis contestatæ , vel saltem à tempore moræ , & non ante ; argumento textus in *leg. In hac.* ff. de Triticaria , & in *leg. penult. ff. Qua in fraud. credit.* & nota plenè in *leg. Vinum.* ff. Si cert. pet. & in *leg. Cum fundus eod. tit.* Confirmatur etiam , quia quando quis potest petere rem ex pacto de retrovendendo , non veniunt fructus nisi à tempore litis contestatæ , vel moræ : text. est , juncta communi opinione , in *leg. 2. Cod. de Pactis inter emptor. & vendit.* & in terminis in nostro casu & quæstione , ita reperio quòd tenet Faber in *§. Actionum Institut. de Action. 1. column. num. 6.* Joan. Igne in *reper. leg. Dudum.* Cod. de Contrahend. empt. num. 25.

Sed , his non obstantibus , ego teneo contrarium , imò , quòd prædictus consanguineus vel socius possit & debeat habere fundum vel

rem cum fructibus ipsis perceptis à primo emptore , vel cum æstimatione eorum : Primò , quia retractus , & jus competens ex eo reponit ipsum retrahentem in pleno & totali jure ipsius rei , quod erat penes venditorem vel primum emptorem , & in ejus locum subrogatur. Secundò , quia hoc casu debet fieri plena restitutio ipsi retrahenti ; quæ intelligitur de jure cum fructibus perceptis ex re , argumento textus in *leg. Restituere.* ff. de Verbor. signific. textus in *leg. final. §. fin. eod. tit.* textus in *leg. Videamus.* §. In Fabiana. versic. Nam & verbum restituas , ff. de Usur. textus in *leg. Præterea.* ff. de Rei vend. textus in *leg. Quod si minor.* §. Restitutio , ff. de Minor. textus in *leg. Patri pro filio.* §. Item ex diverso eod. tit. textus in *leg. Cum autem.* §. Si jubent , ff. de Adilitio edito , textus in *leg. In condemnationem.* §. 1. ff. de Reg. juris. Confirmatur ; quia facta restitutione ex remedio *leg. 2. Cod. de Rescind. vend.* debentur fructus per emptorem percepti : ita probat textus in *dict. leg. 2.* & ibi Bald. 2. col. num. 3. & Salic. & ante eos Odofred. in *libellis suis.* in *tit. de Actione civili. Quanto minoris.* §. colum. dum tamen restituat justum & licitum interesse , quod talis emptor ex pretio soluto percipere , & lucrari poterat. Item confirmatur ; quia si fructus extabant & erant jam nati in fundo vel re tempore contractus & venditionis , erant partes rei ut in *leg. Fructus pendentes.* ff. de Rei vendit. ergo si emptor eos percipit , teneatur restituere tamquam partem rei. Tertio , quia cum dolo & mala fide videtur primus emptor percipere prædictos fructus , cum sciat vel scire debeat , se statim restitutum in tam brevi tempore vel spatio novem dierum : nec videtur justa compensatio perceptionis fructuum cum interesse , quod ex pecunia possit lucrari ; maxime , cum tales fructus non sint producti in prædicto tempore novem dierum , sed necessarium habent causam de retro : Unde , meritò non debent competere emptori , à quo fit retractus : & conclusio prædictorum Doctorum loquitur , quando retractus habebat maximum intervallum , scilicet unius anni ; in quo meritò fructus cedebant emptori propter titulum & bonam fidem , & curam & industriam adhibitam in re : Et istud teneo pro veritate : Fateor tamen , quòd retrahens solvet ipsi emptori justum & honestum interesse , quod illo medio tempore posset ex pecunia vel pretio superlucrari.

Item quæro : si quis vendat rem patrimonii vel generis , quam potest consanguineus vel socius retrahere an debeat Gabella , & à quo debeat ? Et videtur quòd non debeat ab